

Petrus de Vinea

*Ep. I 24 (Sub simplicis
humilitatis officio...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 24 (Sub simplicis
humilitatis officio...)*

post 11 maggio 1264

Scribit papae, quod non remittit sibi captiuum repetitum per ipsum, sed ob sui reuerenciam mitigat sibi captiuitatem.

1. Sub simplicis humilitatis officio et integrae deuotionis affectu, tamquam noui muneris grande ministerium, et utinam spei uberioris promissuum, sanctitatis uestrae recepi litteras, et paternae dulcedinis increpationes audiui et iussionis Dominicae monita. Reuerentius intellexi, factus repente stupidus et referendo quodammodo uerecundus, quod aduersus Deum et sanctam Romanam Ecclesiam, quam Christianae fidei matrem et dominam recognosco, iniuriarum atrocium illator intitutor, et offensarum enormium irrogator appellor: de quibus, si pectoris mei claustra discutio, conscientiae me nulla nota redarguit, nec probabilis stimulus ueritatis impugnat. 2. Nam licet bonarum sit mentium ibi culpas agnoscere, ubi noxae non preuiant, si de nullis offensis penitentiae dona non obtuli, si de nullis iniuriis humiliati spiritus tributa non solui, nescio cur iniuriator existimor, uel cur dampnator excessuum immanitate compingor, nisi eo forsitan, quod contra uos et predecessores uestros offensionis et culpae prauitate resporgor, quod uoluntati uestrae super hereditatis priuatione non parui, et reconciliationis optatae gratiam, quam multipharie multisque modis expetii, hucusque non potui promereri. 3. Nunc ergo preceptis salutaribus monitus et obiurgationibus uestris, quae circa duritiam filiorum clementiam patris insinuant, persuasus, gaudeo satis, quod excitare me litteris et corripere monitis paterna dignaretur affectio: ex quibus spei fertilis indicia colligo et fiducia facili argumenta compono, ut, cum non semper a patre osculandus sit

filius, sed dira interdum castigatione premendus, iam me uelut ingratum, de cuius se asserit salute sollicitum, a gratiae communione non abdicat, et a suauitatis maternae gremio non excludit. 4. Sed datur exterius, pater piissime, sinistrae suspicionis occasio, ut inuitus et querulus de sincera quodammodo patris affectione diffidam, et de matris tenera pietate desperem, dum, sicut iam uulgaris notio publicat uel predicat, transfuso uerbotenus ordine successionis, in exterminium hosti aduersus me panditis hostium, et illum in Regno michi, ex conceptae contra me forte indignationis animo, aduersarium erexistis. De quo, preter alia emolumenta quamplurima, quae per me poterant Ecclesiae prouenire, de condicionibus omnibus minor, quam de me protinus, si ueritatem dici liceat, utilitas expectatur. 5. Sicque, dum uerba patris, quem domestica quasi cura de filii conuersione titillat, accurate considero, sperare commoneor; dum extrinseca facta commemoro, desperare compellor. In cuius desperationis excessum et uehementis doloris incendium, ea maxime ratione commoueor, quod uenerabilis uir, >dominus Sy., tituli Sancti Martini presbyter cardinalis, Apostolicae Sedis legatus in Marchia, per suas litteras temerarium predonem me publicat et persecutorem, prodigum ac Sathanae filium licentia labiis relaxata diuulgat: qui per hoc, utinam michi soli, si sibi aliqua ratione non placeo, lesionis offendicula tenderet! Sed ad uniuersale quasi gentis dispendium non minus, proh dolor!, hac occasione suspirat, dum fideles Christicolae – quorum festina subsidia Terrae Sanctae negotium, a nobis olim, procurante nunc Domino, longis expectabat desideriis – nouo nuper bellandi genere nunc perarmat in filios, et ad Christiani regni spolia cruce signat. 6.

Consideret ergo, si placet, uestrae pietatis integritas qualiter, si secundum carnem uiuitur, predo de preda debeat intendere precibus et, tot grauibus lacessitus iniuriis, superioris obsecundare preceptis. 7. Hac itaque uarietate perplexus, eligo sanius me totum beneplacitis uestris exponere, si totus admittar, et uestris reuerenter obtemperare mandatis, si tamen innocentiae meae causam leuitas non exasperet mandatoris. Non sic enim propriae uoluntatis arbitrio subleuor, nec sensualitatis incentiuo dissoluor, quin plene discernens inter dexteram et sinistram aperte uideam et euidenter agnoscam, quid personarum uelit acceptio, quid rationis iudicio debeatur, propter quod, uniuersa quae scribitis debita meditatione compensans, mandatorum uestrorum precumque primitias pro libertate prouidi uiri M., Veronensis electi, ad cuius uitae laudabilis et famae preconia tam clara sufficiunt testimonia laudatoris, reuerenter accipio, et eo libentius ad effectum debitaе prosecutionis adducam, quo de maioris affectionis ubertate proueniunt et fructus maioris gratiae ac euidentioris emolumenta compendii scribendi tam sanctis indiciis deberentur. 8. De cuius captionis euentu, dum Deum et Ecclesiam exinde grauiter offendisse me dicitis, minus digne, si dici liceat, seuitiae michi fucus adscribitur, et prohibitionis supernae pertinax refragator accusor. 9. Quamquam etenim rex ille pacificus, qui ministris Ecclesiae legata pacis hominibus erogandae commisit, Christos suos ore prophetico tangi prohibeat et in eis malignitatis molestiam exerceri, si tamen ipsis interdum non euangelizantibus uerba pacis, sed procurantibus machinamenta discidii, quicquid inferri contingat iniuriae, non minus id passis imputari debet ad uitium, quam facientibus ad delictum. 10. Cum igitur ad

partes Marchiae dudum in amicorum subsidium, qui ob zelum deuotionis et fidei erga diuum Augustum felicitis memoriae, dominum patrem meum, tenaciter habitae in me quasi nouae dilectionis fragrantia redolebant, quamdam quantitatem militum in fautoris subsidium destinassem, dissidentibus infra se partibus, ut moris est, potius uel erroris, prout inter eos malitiae radicauit antiquitas, idem electus, non pacifer inuentus, sed belliger, non altaris leuita, sed equo leuiter eleuatus, non Dei minister, sed excidiis ministrator, inter agmina militum casualiter incidit et ad priuatam honestamque custodiam ipsum bellicus euentus adduxit. 11. De cuius liberatione festina, si ad presens dominationis uestrae uoto non pareo, molestum queso, pater piissime, non geratis, cum absque amicorum meorum quorundam marchionum, comitum et aliorum magnatum Ytaliae conscientia, quorum in hoc precipue interesse uersatur, nunc fieri honeste posse non uideam; sed quam cito, ad instantiam nuntiorum meorum super hoc, eorundem nobilium michi conscientia patefieret, tam in iis quam in aliis, quae sanctitatis uestrae grata sint animo et affectui blandiantur, per euidenciam operum, quae utinam paternae charitatis affectio placida relatione cognoscat, signa promptissimae deuotionis ostendam. 12. Interim tamen, ob reuerentiam Apostolicae Sedis et uestram, non ea quae captis ex hostium conculcatione debentur, sed quae habilitati conueniant et equipolleant libertati, honesta custodia faciam sociari, ut quae ad presens in totum ostendi non potuit, in ea saltem parte deuotio cognoscatur.